

Gloriatio fidelium Justificatorum triplex est: Gloriantur enim,

1. De Spe futuræ Gloriæ, à Deo dandæ;
2. De Afflictionibus hujus vitæ temporalis;
3. De Deo ipso; ut infrà, *vers. II.* Apostolus inquit,

*Neque id solùm, verùm etiã gloriamur de Deo, per Dominum nostrum Jesum Christum, per quem nunc reconciliationem recepimus.*

P. Hac vice dicemus de Gloriatione fidelium, quam illi habent,

*I. De Spe futuræ Gloriæ, à Deo dandæ:*

*II. De Afflictionibus vitæ hujus temporalis.*

Tertiam Gloriationem, de Deo ipso, differemus in suum usque tempus, ubi ad *vers. II.* ex ordine explicandum pervenerimus.

V. Deus, in quo gloriamur, adsit nobis suâ gratiâ & Spiritu, ut duas istas priores consideremus, in suam gloriam, nostrique solatium: Idem largiatur nobis invictam conscientiam, & vires Spiritûs Sancti, ut in Afflictionibus hujus vitæ tale gaudium percipiamus, quod exsuperat omnem intellectum, quoad perveniamus ad speratam illam Gloriam vitæ æternæ: *Amen.*

## P A R S I.

Principiò videndum nobis est, quid significet, *Gloriari?*

*Præp.* Gloriari est, de aliquo ingenti bono, quod habeas, vel certò speres, gestu & verbis lætari & exultare.

Talis Gloriatio duplex est, Carnalis, & Divina.

*Carnalis* ac mundana gloriatio vana est, & inconstans;

Quum quis gloriatur de re aliqua in mundo, extra Deum:

Proinde prohibetur ab Apostolo, ex Propheta, *1. Cor. I. 29. 31.*

*Ut ne gloriatur ulla caro, in Dei conspectu: sed,*

*Qui gloriatur, in Domino gloriator.*

De tali etiam gloriatione Paulus suprâ dixerat,

*Rom. 3. 27. Ubi igitur Gloriatio? Exclusa est.*

*Divina* verò gloriatio constans est, & vera Gloriatio;

Quum bonum, de quo quis gloriatur, verè bonum est, quumque illud verè possidet, & certò habet in Deo, illudque Deo soli acceptum fert.

De tali Gloriatione Paulus hîc in textu agit, dum ait;

*Gloriamur sub Spe gloriæ Dei, (seu, à Deo dandæ:)*

*Neque id solùm, sed etiã gloriamur de Afflictionibus, &c.*

*a) Prop.*